

DE RVCTV
VENTRIS

ARRARI
HEMIGNY

DE RVCTV
VENTRIS

DATAS
MITHOMA

33



Pe, 221

oo d-

M
7
Be

Theol. F. VI. 498.

DISPUTATIO
DE
BONIS OPERIBVS,
A DAVIDE
CHYTRÆO
proposita.

Respondebit GELMERVS
Nemorimontius
Amsfordiensis.

ROSTOCHII.

M. V. LVI.

C 6

DISPUTATIO
DE
BONIS OPERIBUS
RIBUS A DANNE
DE CHYTRAMEO
proposita.

Respondit GERMES
RVS Nominatus
Austriacus.

ROSTOCKII
M. V. PNT.

DOCTRINA

DE BONIS OPERIBVS,

Dialectica Methodo comprehensa, & ad disputandum proposita.

I.



Paulus docens propter solum Christum Fide iustificari hominem, sine operibus Legis, statim addit, se hac doctrina de Fide, non abolere, sed stabilire Legem: ita nos, initio disputationis de Bonis operibus, clare & constanter affirmamus, Bona opera, seu Nouam obedientiam cum Lege Dei congruentem, necessario sequi fidem in iustificatione oportere.

II.

Ideo enim à DEO conditi, & per Filium redempti sumus, ac gratuita misericordia propter Christum recepti, & ob signati spiritu sancto, ut peccatum in

A 2

nobis

AN SINT
necessaria
Bona opera

nobis aboleatur, & nostra natura, consilia, & opera fiant bona .h. congruentia cum uoluntate seu iusticia Dei, quam in Lege expressit, ac ut uera pietate animi & uirtutis cultu Deum celebremus.

III.

Vt autem Hippocrates ait, Periculosam esse medicationem, cum duobus contrarijs morbis simul est occurrendum: ita difficile est ueram sententiam de Necessitate Bonorum operum ita populo explicare, ne uel securitas & licentia uulgi confirmetur & studium bene operandi etiam in bonis languescat, cum audiunt Neminem per bona opera iustificari: Neue honos Christo proprius detrahatur, & conscientia metu peccatorum consternata ad desperationem adigantur, cum audiunt Bona opera ad iustitiam & salutem promerendam necessaria esse.

III.

Certum est Nos ideo per Fidem in Christum recipi, & a peccato & morte liberari, ut deinceps uitemus peccata, &
Deo

Deo in bonis operibus seruiamus, ut
Ephē: 2. dicitur, Dei opus sumus, con-
diti per IESVM CHRISTVM, ad opera bona
quæ præparauit Deus, ut in eis ambule-
mus.

V.

Ideo certissimum est, Fidem neces-
sario per Bona opera efficacem esse.

VI.

Nec est uera Fides, quæ non est ef-
ficax per dilectionem & opera bona, Si-
cut arbor mala est, quæ non fert fructus
bonos.

VII.

Sed tamen nequaquam eo fine fas-
cienda sunt Bona opera, ut per ea re-
missionem peccatorum & uitam æter-
nam mereamur, sed ut debitam obedi-
entiam Deo præstemus, fidem nostram
coram alijs testemur, iusticiam ac uitam
propter Christum gratis donatam reti-
neamus, & pænas præsentis ac æternas
uitemus.

VIII.

Nam remissionem peccatorum so-

A 3

la fi-

la fides consequitur, non quia est opus
in nobis, aut quia efficax est per bona
opera, Sed quia adprehendit CHRISTVM
Mediatorem, qui solus nobis est factus
sapientia à Deo, iusticia, sanctificatio &
redemptio, ut sicut scriptum est Qui
gloriatur, in Domino gloriatur. 1. Cor: 1.

IX.

Quod igitur ad Iustificationem
hominis coram Deo attinet, certum est,
Nos iustificari gratis, Dei gratia, per re-
demptionē factam à Christo Iesu, quem
proposuit Deus propiciatorem, per fis-
dem in sanguine eius &c. Nec ex operis-
bus legis ullum hominem in iudicio Dei
iustificari, ut Roma: 3. 4. 10. Galat: 2. 3.
Ephē: 2. Philip: 3. & alibi confirmatur.

X.

*Definitio
nominis.*

Quod ad significationem uocabu-
li attinet, nominamus Bona opera, non
tantum externorum membrorum actio-
nes cum Lege Dei congruentes, sed cog-
itationes, notitias & ad sensus mentis,
inclinationes uoluntatis, adfectus cor-
dis, orationem, & externorum mem-
brorum

brorum actiones, cum uoluntate Dei
conuenientes.

XI.

Suntq; ferè Synonyma hæc quatuordecim uocabula. Bona opera, Cultus Dei, Noua obedientia, Virtus, Iustitia operum, Iustitia uniuersalis, Sacrificium laudis, Bonum propositum, Bona conscientia, Iustitia bonæ conscientia, Nouitas uitæ, Inchoata obedientia, Mortificare actiones carnis, Dominari peccato. Ex harum adpellationum collatione, facilius uera & genuina significatio uocabuli, potest intelligi. Sit autem hæc definitio rei breuis.

XII.

BONA OPERA sunt opera à Deo mandata expresso uerbo, quæ fiunt à nobis prelucēte fide in Christum, & referuntur ad hunc finem, ut Deo obedientia & honos præstetur.

Definitio

Rei.

XIII.

Congruunt cum hac definitione, uicinarum adpellationum descriptiones. Cultus Dei est opus à Deo manda-

A 4

tum,

tum, quod fit prælucente agnitione Christi & fide, hoc fine immediato aut principali, ut Deus honore afficiatur, Noua obedientia est prælucente fide in Christum, obedire Deo, iuxta omnia ipsius mandata. Virtus est obedientia seu conformitas omnium uirium et actionum hominis, cum uoluntate Dei in Lege expressa &c.

XIII.

*Que non
sunt Bona
opera.*

Ex hisce descriptionibus perspicuum est, Totum chaos operum Monasticorum, & aliorum, quæ in pontificijs Ecclesijs præcipue florent et dominantur, falsissime titulo bonorum operum, & cultuum Dei, commendari,

XV.

Nulla enim Ceremonia uel actio, quæ pugnat cum expresso uerbo Dei, in numero bonorum operum aut cultuum Dei potest recenseri. Scriptum est enim Quæ tibi præcipio, hæc tantum facito Domino. Non addas aliquid, neque minuas. Item Frustra colunt me mandatis hominum.

Atqui

XVI.

Atqui Missa Pontificia, in qua finis ^{Missa.}
git Sacrificulus se offerre Deo corpus &
sanguinem Christi, & hac oblatione me-
reri sibi et alijs remissionem peccatorum
& liberationem ex pœnis, pugnat cum
expresso uerbo Dei.

XVII.

Nam in Institutione Cœnæ Domini
iubemur Corpus et sanguinem Chris-
ti, non offerre, sed accipere, comedere,
bibere, & mortem Domini annunciare.

XVIII.

Deinde Christus unica oblatione
& sacrificio semel in ara crucis facto, toti
Ecclesiæ, remissionem peccatorum &
uitam æternam meritus est, ut Ebre: Io.
clare dicitur, Christus unica oblatione
consummauit in perpetuum sanctos.

XIX.

Hoc sacrificium singulis propria
fide & usu Sacramentorum, non alieno
sacrificuli opere, adplicatur.

XX.

Quare Missa Pontificia, non mos-
do nuls

A 5

do nuls

do nullum bonum opus est, sed etiam
horribili contumelia afficit meritum fi-
lij Dei D. N. I. Christi, & doctrinam
Euangelij propriam, de beneficijs Chri-
sti, de Iustificatione, de fide, prorsus
obruit & extinguit.

XXI.

Similiter circumgestatio & adora-
tio Panis, horrenda Idolomania est.

XXII.

Vt enim Persæ olim Ignem finge-
bant esse Deum, aut ut uulgus Ethnico-
rum, uel statuas, uel sidera, uel alias cre-
aturas finxit esse Deos, eisq; cultum soli
Deo debitum tribuit: ita nunc Papistæ,
sine ullo uerbo Dei, Panem fingunt esse
Deum, & colunt creaturam pro creato-
re, qui est Deus benedictus in sæcula.

XXIII.

Nam etiamsi in actione Cœnæ Do-
mini, cum administratur sicut à Christo
instituta est, accepto pane & uino, acci-
pitur corpus & sanguis Christi: tamen
extra hanc actionem, prorsus sine ullo
uerbo Dei, corpus Christi ad panem al-
ligas

ligatur, perinde ac si aliquis Spiritum
sanctum, extra actionem Baptismi, ad
aquam alligaret, & aquam circum ferret
& adorandam proponeret.

XXIII.

Quod si tantum ea opera sunt bona
& Deo placentia, quæ in uerbo Dei
mandata sunt, sequitur omnes ordines
Monachorum, omnia opera Monastica
ca præter & contra uerbum Dei instituta
& usurpata, hoc fine ut mereantur
remissionem peccatorum, & sint neces-
sarij cultus Dei, non modo non esse bona
opera & cultus Dei, sed etiam hor-
renda & execranda *Βδελυγματὰ* esse.

XXV.

Ac quantus furor hypocrisis Mo-
nasticæ fuerit, ex hac una re intelligi po-
test, Quod finxerunt, sepultos in ueste
Franciscana, uirtute uestis et meritorum
ordinis, non obnoxios esse pœnis infer-
rorum. Atq; hoc modo sepultus est Hei-
delbergæ Rodolphus Agricola, & in
Italia Christophorus Longolius & Al-
bertus Carporum Princeps & multi
aliij.

alijs. Et Erasmus hanc impudentem his-
trionicam describens, O fortunatos,
inquit, pediculos, qui in tam diuina
ueste perpetuo uiuunt. Nec sane alia
grauiore refutatione hæc delyria digna
sunt.

XXVI.

His similia opera fuerunt, Perea-
grinationes ad sanctorum statuas, dis-
crimina & delectus ciborum, aspersio-
nes aquæ lustralis, uota, consecrationes
salis, oleorum, Indulgentiæ quibus pec-
cunia emptis fingeant recta Animas
ex purgatorio in cœlum subuolare &c.
De hisce nugis omnibus satis est hanc
unam Regulam tenere. Frustra colunt
me mandatis hominum. Item, Si quis
aliud Euangelion prædicauerit, Anas-
thema sit.

XXVII.

Postquam uero hæc nugæ à nobis
taxatæ sunt; deinceps consideremus,
Quæ sint uera bona opera, quæ Deus
à nobis flagitat, & sibi placere ostendit.
Horum distributio rectissime ex præ-
ceptis Decalogi sumetur. In

XXVIII.

In primo præcepto hæc opera flagitantur, Vere agnoscere Essentiam & uoluntatem Dei, & Filij ipsius D. N. I. Christi, & Spiritus sancti, uere Timere Deum, Fide in Dei misericordia et auxilio adquiescere, Diligere Deum, Certa Spe expectare uitam eternam, Patienter obedire Deo in ærumnis, Et peccata, dubitationes, falsas opiniones, adfectus & inclinationes cum his operibus pugnantes, cohibere & extinguere.

DIVISIO
seu Species
Bonorum
Operum.

XXIX.

Bona opera quæ in secundo & tertio præcepto mandantur, sunt, Vnum solum uerum Deum patrem D. N. Iesu Christi una cum Filio & Spiritu sancto, recte, assidue & ardentè inuocare fiducia filij mediatoris, Gratias agere, Glorificare Deum, Prædicare ac Confiteri ipsius doctrinam, interesse publicis congressibus Ecclesiæ, uti sacramentis, Reuereri ministerium & ministros, & conferre facultates ad conseruationem ministerij.

In se

XXX.

In secunda Tabula præcipiuntur omnia officia uitæ politicæ, quæ immediate erga homines exercentur, ut Obedientia erga parentes, præceptores, Magistratus & Leges politicas, Sedulitas faciens sedulo propriæ uocationis labores, Iustitia nullius corpori, famæ aut bonis nocens, sed suum cuiq; tribuens & seruans equalitatem, Beneficentia iuuans alios opera, labore, pecunia, consilio &c. Castitas uitans omnes libidines à Deo prohibitas, Mansuetudo reprimens iracundiam, Temperantia in cibo & potu, Veritas in doctrinis, contractibus, pactis, iudicijs & omni uita &c.

XXXI.

Causæ efficiētes Bonorum operū. Vt autem in tanta infirmitate nostræ naturæ peccato pollutæ, & in tantis Diaboli insidijs, hæc Bona opera possint a nobis præstari: necesse est Tres causas concurrere,

XXXII.

Prima, Verbum Dei & uera agnitio Christi

Christi seu fides accipiens remissionem
peccatorum Gratis propter Christum
promissam, Quæ fides deinde per dilec-
tionem & bona opera efficax est.

XXXIII.

Secunda, Spiritus sanctus, accen-
dens in mente lucem ueræ agnitionis
Dei, & cogitationem præceptorum di-
uinorum, Deinde impellens & adiu-
uans uoluntatem, Cor, et externa mem-
bra, ut præceptis diuinis obtemperent,
& peccata uitent.

XXXIIII.

Tertia, Mens & uoluntas huma-
na obtemperans spiritu sancto mouenti
per uerbum Dei, & regenti actiones cor-
dis, linguæ, & externorum membro-
rum, ut congruant cum uoluntate Dei.

XXXV.

Quanquam autem hisce tribus
causis concurrentibus aliquomodo præ-
stari possunt Bona opera, & inchoari
Nova obedientia, tamen hæc ipsa Obe-
dientia adhuc imperfecta, mutila et mul-
tis peccatorum sordibus contaminata
est

est & nequaquam satisfacit Legi Dei.

XXXVI.

CAUSA
FORMA
LIS.

Quare Bona opera, etiam in sanctis, ut Paulo, Abrahamo & similibus, nequaquam placent Deo propria dignitate, nec satis faciunt Legi Dei, sed fiunt bona & Deo placentia, per fidem in Christum.

XXXVII.

Vt autem rectius intelligatur, Quomodo placeant Deo piorum opera, prodest explicationem in hos quatuor articulos distribui.

XXXVIII.

Primum, Persona, quæ facit bona opera, fide agnoscat personam & beneficia Christi, & statuatur sibi peccata remitti, & se Deo placere, Gratis, propter Christum.

XXXIX.

Secundo, Agnoscat se non posse in hac uita legi Dei satisfacere. Nam lex Dei flagitat integram & perfectam obedientiam, nulla labe peccati contaminatam. Manent autem in omnibus etiam renatis,

renatis,

renatis, in hac uita, multiplex caligo & dubitationes, prauæ inclinationes, & flammæ uiciorum adfectuum, hostili more grassantes aduersus Legem Dei Roman: 7.

XL.

Tertio, Etiam si non possumus legem Dei in hac uita implere, tamen sciat Dei uoluntatem immotam esse, ut ei in bonis operibus seruiamus, & nouam obedientiam cum ipsius Lege congruentem inchoemus.

XLI.

Quarto, Certo statuatur hanc inchoatam obedientiam in iustificatis placere Deo, non propter propriam dignitatem, sed propter filium Dei D.N. Iesum Christum per fidem, sine qua impossibile est placere Deo.

XLII.

Facienda sunt autem Bona opera, FINIS Bona nequaquam hoc fine, ut remissionem *norum Ope* peccatorum & salutem æternam per ea *rum.* mereamur.

B

Nam

XLIII.

Nam remissio peccatorum & salus æterna, propter solum filium Dei Mediatorem, gratis, donatur, & sola fide accipitur.

XLIII.

Vt igitur Filio Dei suis honos tribuatur, & conscientia de salute æterna anxie, certam consolationem retineant: necesse est hanc sententiã Euangelij propriam constanter retineri. Quod agentes Pœnitentiam & credentes Euangelio, propter solum filium Dei Dominum Nostrum Iesum Christum, gratis, non propter ulla nostra opera aut merita, remissionem peccatorum & salutem æternam consequantur.

XLV.

Et propositio, quæ affirmat, Bona opera ad salutem necessaria esse, quam candida explicatione excusari potest, tamen, quia & ambigua est, & contradictoria illi Paulinæ sententiæ, Ex operibus Legis non iustificabitur
om̃

omnis caro, rectius est, eam in Ecclesia
Dei non usurpari.

XLVI.

Quinque autem sunt uerifines, ad
quos bene operandi studium est referen-
dum.

XLVII.

Primus, Vt Deus gloria afficiatur
Matth: 5. Luceat lux uestra coram ho-
minibus, ut uideant uestra bona opera,
& glorificetur Pater uester cœlestis.

XLVIII.

Secundus, Vt debita obedientia &
honos Deo præstetur. Roma: 8. Debi-
tores sumus, ne secundum carnem ui-
uamus.

XLIX.

Tertius, Vt fidem, Gratiam, Spi-
ritum sanctum, & hereditatem regni cœ-
lorum retineamus. 1. Cor: 6. Scortato-
res, adulteri, idolatræ, ebriosi non pos-
sidebunt Regnum Dei.

L.

Quartus, Vt pœnas uitemus.

B 2

Quin-

LI.

Quintus, Ut præmia spiritualia & corporalia in hac uita, & post hanc uitam consequamur. i. Timot: 4. Pietas habet promissiones præsentis & futuræ uitæ.

LII.

COGNATA.

Cognata Bonis operibus sunt uirtutes Ethnicorum, ut Aristidis, Socratis, Phocionis, Pomponij Attici & similia.

LIII.

Hæ, quanquam excellentia sunt bona, & opera Dei, tamen per accidens contaminantur. Quia non reguntur uera agnitione Christi & fide, nec personæ Ethnicorum reconciliatæ sunt Deo propter filium. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.

LIIII.

Nequaquam igitur propter has uirtutes Ethnici in cœlum transferendi sunt.

LV.

Non enim est aliud nomen sub cœlo, in

lo, in quo oportet nos saluos fieri, præter nomen Domini Iesu, qui cum ignotus fuerit Ethnicis, manet regula & sententia Iudicij diuini immota, Qui non credit in filium, manet ira Dei super eum.

LV I.

Cognatæ sunt etiam bonis operibus Ceremoniarum obseruationes, de quibus aliàs agemus.

LV II.

Pugnant cum Bonis Operibus, PUGNANTIA. omnia mala opera, seu omnia peccata, h. defectus, inclinationes, adfectus & actiones non congruentes cum Lege Dei.

LV III.

Diligenter autem consideranda sunt discrimina peccatorum, Quorum alia in sanctis manent coniuncta cum bonis operibus, quæ peccata uulgo Venialia nominantur. Alia excutiunt gratiam & spiritum sanctum, quæ uulgo Mortalia uocantur. Sint igitur Adolescentibus in conspectu usitatae Definitiones.

B 3 Peccas

LIX.

Peccatum Veniale est defectus, uel inclinatio, uel adfectus, pugnans cum lege Dei, in renato, cui retinenti Fidem, & repugnanti prauis adfectibus spiritu, reatus remittitur.

LX.

Peccatum Mortale, in lapso qui antea fuit renatus, est delictum contra conscientiam. h. quod fit à sciente & uolente, propter quod homo amittit gratiam, & fit reus iræ Dei & æternam pœnarum, nisi rursus ad Deum conuertatur.

OREMVS autem ardentibus uotis Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, à quo rursus conditi sumus ad opera bona, ut in eis ambulemus: ut per Spiritum sanctum accendat in mentibus nostris lucem ueræ doctrinæ, & flectat uoluntates & corda nostra ut uera fide & obedientia Deum conditorem in omni æternitate celebremus.

el
n
b
=

ni
a
o
is
a
r.
o
s
n
ti
ze
at
is
a

DE CLAVE LIGANTE
IN ECCLESIA CHRISTI
DE SUSPENSIONE SA-
CRAMENTIS AD TEM-
PUS
DE RECONCILIATIO-
NE OFFENSARUM ECCLE-
SIARUM

EXPLICATIO SYNOPTICA
SACRAMENTORUM

AUCTOR
Johann Baptistus
Vogel

70

FRANCOFURTI AD MOENIA
apud Johann Baptistum
Vogel



... LX ...
... Persecutionem Veniaris ...
... ad adfectus ...
... De ...
... et ...
... in, ...

... LX ...
... Persecutionem ...
... adfectus ...
... De ...
... et ...
... in, ...

... OREMUS ...
... Persecutionem ...
... adfectus ...
... De ...
... et ...
... in, ...


F
H
D
C
P
D
N
S


FR



154633

AB 154633





DISPUTATIO
DE
BONIS OPERIBVS,
A DAVIDE
DE CHYTRAEIO
proposita.

Respondebit GELMERVS
Nemorimontius
Amsfordiensis.

ROSTOCHII.

M. V. LVI.

C 6

